



CAPUT LXVIII.

De Rangifero.

Rangifer.

Rangifer est cervi species. Reperitur præcipuè in Lapponia, Suecia, Norvegia, & aliis polo arctico vicinis regionibus. Germani vocant Reen. In ejus descriptione non conveniunt Auctores. *Albertus* ait esse majorem cervo ordinario, colore insignem, & ad fugam celerrimum. Tres cornuum ordines eidem tribuit, ita ut in singulis sint bina cornua, & caput ejus virgultis compositum videatur. Similia habet *Olaus Magnus*. Aliqui cum Alce eum confundunt; sed malè. Cibus ei muschus montanus, præsertim hyemis tempore, quo nives quantumvis altas perforat, & victum quæritat. Æstate foliis ac frondibus arborum vescitur, quæ carpit stando, & eundo: muschum verò & herbam obliquato capite, propter nimiam cornuum in anteriora inflexionem.

CAPUT LXIX.

De Rhinocero.

Rhinoceros.


Rhinocerotis nomen à cornu, quod in naso gerit, est attributum. Alii vocant bovem Ægyptium, alii taurum Æthiopicum. *Plinius* de illo nihil aliud lib. 8. cap. 20. scribit, nisi quòd unum in naso habeat cornu, eoque ad saxa limato se præparet ad pugnam cum elephanto hoste, & in dimicatione alvum maximè petat, quam scit esse molliorem. Longitudine esse parem elephanto, cruribus multò brevioribus, colore buxæo. *Ælianus* lib. 17. cap. 44. ait, superfluum esse, formam ejus describere, utpote notissimam Romanis, apud quos sæpe in amphitheatris comparuerat. Solùm ait, cornu in summa nare gerere acutissimum, & non minus ferro durum; & hoc ipsum limare, atque acuere ad saxum, dum est cum elephanto pugnaturus; & ejus crura subire, alvumque discerpere; quem si non præoccuparit Rhinoceros, sed ab elephanto præveniatur; illius promuscide apprehensum attrahi, ac retineri, & dentibus ceu securibus conscindi, tametsi ejus pellis durissima sit, ut ægrè à jaculis penetrari queat.

Rhinocerotis cornu.

De cornu Rhinocerotis maxima est discrepantia. *Tertullianus* & alii, unum tantùm adsignant; *Martialis* & alii, bina. Utrumque hoc alii in capite collocant, alii in naribus unum, alterum & brevius in humero dextro; alii utrumque in naribus; alii majus in naso, minus in fronte.

Sed

Rhinoceros.



Sed nec de forma præcipui cornu conveniunt: nam alii rectum statuunt instar tubæ, lineâ nigrâ transcurrente; alii rectum quidem, sed sine lineâ; alii recurvum, alii simum.

Artemidorus apud *Strabonem* lib. 16. Geograph. ait, Rhinocerotem longitudine parum ab elephantis discrepare, magnitudine tauri, formâ a proximâ; duo cingula tanquam draconum volumina dorso usque ad uterum circumeuntia habere, alterum jubam versus, alterum ad lumbum.

Jacobus Bontius lib. 5. Histor. Natur. & Med. cap. 1. quod est de *Abada*, sive *Rhinoceros*, ait, se millies animal vidisse, tam cavâ inclusum, quàm in silvis ad pastum vadens; colore esse è nigro cinereo, corpore glabro, vel paucissimis pilis obsito, cute rugosâ planè, & plicis superinductâ, ut ob id scutatum, & clypeatum appareat, prout à pictoribus pingitur, cum revera pellis non sit discreta, sed continua. Corium tam crassum esse, ut macherâ Japonicâ illud vix diffecare quis valeat. Rostro esse suillo, non tamen tam obtuso ut suum, sed acutiore, & super foraminibus varium conspici tam famosum cornu, à quo nomen sit sortitum. Colore id cornu plerumque esse nigro, sæpe cinereo, aliquando albo. Magnitudine & corporis mole æquare elephantem, pedibus tamen brevioribus.

Innoxium esse animal, nisi laceffatur; & tum crudelissimum esse, non solum in offendentes, sed in obvia quæque, adeo ut arbores totas prosterнат ingenti fragore. Ubi hominem prostravit, asperrimâ suâ linguâ illum lingendo enecare, tum cutem & subjectam carnem abradere usque ad ossa. Audi exemplum ex Bontio loc. cit. quod nuperrimè accidit Secretario nostræ civitatis Theodoro Gemmingio; qui cum nuper duobus aliis comitatibus eques in silvam exisset exspatiatum, in paludoso loco in Rhinocerotem cum catulo suo incidit (nam hoc animal non secus cæno, quàm porci, & apri libenter volutatur) qui illis visis surrexit, ac tardè recedens præ se agebat catulum suum silvam versus; qui cum lasciviens aliquando restaret, mater ipsum rostro protrudebat. Interea quidam ex eorum consortio præ temeritate, equo insidens, belluam insequitur, & exertâ macherâ, quam gerebat, Japonicâ, posteriores partes Rhinocerotis ferit; sed ictibus non penetrantibus, propter cutis crassitiem, aliquot striae albæ in tergo & natibus bestiae apparebant. Quod patientissimè bellua ferebat, quousque catulum suum inter vepres, & salicetâ occulisset. Tum enim repente conversa in equitem nostrum, cum immani grunnitu, & stridore, ejus caligie mordicis apprehensis, eas mordicis discerpfit, materiâ levi, utpote bombycinâ, sequenti, alioquin planè actum de eo fuisset. Sed equus fortè prudentior aliquantò suo rectore, retrò salit, & in fugam convertitur, insequente eos omni vi Rhinocerate, prosternendo cum horribili fragore arbores, & quidquid obvium ipsi impedimento esset. Dum noster eques devenit in eum locum, ubi socios reliquerat. Quibus visis, eo derelicto, alios impetit. Qui furorem belluæ declinantes, post

Rhinoceros laceffitus furit vehementissimè.

AAAAAA

ANAS

duas ingentes arbores se absconderant, & vix duos pedes intermediâ rimâ à se invicem distantes. Et sive hoc felici eorum fato, sive stupore huic animali ingenito, evenerit, bestia solummodo per istam rimam summo conatu sibi viam querebat, & arbores non secus ac arundines tremefacere faciebat; sed tamen crassities earum frontis ipsius impetum infrungebat. Interim dabatur eis locus scopulorum sua explodendi, & belluam adactis aliquot ictibus per cerebrum ferendi; & sic bestiam immanem prostravere, suppetias ferentibus Mauris servis, qui istinc à dominis suis lignatum missi erant.

CAPUT LXX.

De Sciuro.

Sciurus.

Sciurus Germanis Eichhorn dicitur. Forma est omnibus satis nota. Priorum pedum ministerio pro manibus utitur. Dum graditur, caudam post se trahit; sedens, supra dorsum eandem erigit; in saliendo, ab eadem tanquam alâ juvatur; in solis ardore eâ se obumbrat; dum amnes tranat, cortice conscenso eadem pro velo utitur. Prævisâ tempestate, obturat cavernam, quâ parte spiraturus est ventus, & partem alteram aperit.

Indicorum sciurorum quinque vel sex species enumerat, atque describit Nierembergius lib. 9. Hist. Natur. cap. 34. quas lege apud ipsum.

CAPUT LXXI.

De Simiis.

Simius & Simia.

Vide Icon. XXXVI.

Simius, & Simia, Græcis πῑθηκος dicitur. Nares, aures, dentes, hominis more habet: cilium in utraque palpebra prætenue, & prolixius. In pectore binas mammarum papillas, & brachia hominis modo, sed hirsuta; quæ & ipsa, uti & pedes, ut homo inflectit. Manus, digitos, ungues hominis similia, etsi rudiora. Pedes ipsi sui generis: sunt enim velut manus majusculæ, & digitis ut manus constant, medio longiore. Vestigium etiam manui simile est, nisi quod in longum se porrigat, & volam referens tendat ad postrema. Sunt variarum formarum. Unam exhibui suprâ Iconismo XXXVI.

Naturam & mores simiarum quod spectat, sunt valde petulantes, & mimicæ. Mansuefactæ catulos omnibus ostendunt. In neomænia, seu novilunio gaudent, & exultant; in interlunio tristantur. Inventæ, quæ aurigæ munus obibant, latrunculis ludebant. Nuper hîc simius, pueri more vesti-